

OK. 528, g.

B. m. II

IIa
520

PUBLICAM
REI LIBRARIAE
TYTELAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SISTVNT

ADRIANVS DEODATVS
STEGERS

PHIL. ET IVR. DOCTOR

ET

GEORGIVS GOTTLIEB ECKENBERGERVS
RATISPONENSIS.

A. D. XIII. OCTOBR. CIOIOCC XXXX.

LIPSIÆ
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL



PUBLICAM
REI LIBRARIAE

T. V. T. L. A. M.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

A. V. G. T. O. R. I. S. S. A. T. E.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINE

DISSENT

ADRIANVS DEODATVS

STREGERVS

PHILOSOPHVS

ET

GEORGIVS GOTTLIB RECHENBERGERVS

PHILOSOPHVS

A. P. A. M. O. C. T. O. B. R. O. I. S. C. C. E. N. S. I. S.

L. I. S. T. A. M.

PHILOSOPHVS





§. I.

INSTITVTI OCCASIO ATQVE RATIO.



i tanto utique praestantior eorum unicuique, quidquid humanis excogitarum est ingeniis, decernenda est dignatio, quanto quidem inde verae hominum felicitati conducibilia enascuntur praesidia, praestantissima sane sit oportet, quam suo sibi iure vindicat typographia. Ego uero singulari quadam diuini numinis prouidentia factum esse arbitror, ut praeclearissimae istius artis primordia in eam ipsam aetatem inciderent, quam eandem fere renascentes litterae omni posteritati maxime salutarem effecerunt et memorabilem. Congrua profecto et ipsis incunabulis utriusque boni propitiae aetatis aequalitas. Nec enim arti ab ullo saeculo meliora portendi omnia potuissent, quam quo late patens omnium elegantiarum campus recludi coeperat, dignus omnino, in quo suam illa exerceret industriam: nec auspicatori tempore in orbis occidentis partes redire poterant bonae litterae, quam quo iam paratas inuenerant tot opera-

rias manus, arte maxime idonea instructas, quibus et comiter exciperentur, iisque colerentur officiis promouerenturque, ut quod efficacissimae commendationis instar erat, erectioribus ingeniis facile innotescerent. Quod si autem communi omnium consensu, quos iudices uitio non creatos suspicimus, insignium illorum progressum, quos non adeo longo temporis interuallo per uniuersam fere Europam redeuntes litterae fecerunt, cum primis typographiae iure suo tribui agnoscimus celeritatem, neque reliqua bona, eaque ualde luculenta, quae latius diffusa litterarum lux subinde impertiuit, eidem arti maxime in acceptis ferenda esse, quispiam inficiabitur. Nostrium iam non est longam illorum bonorum seriem enarrando prosequi, quorum pretio demum recte metiri discimus incomparabilis artis praestantiam. Saepiuscule factum esse animaduertimus, ut rerum praeclare gestarum inuentarumque gloriam, ipsis auctoribus adentam, in uniuersum, cuius ipsi olim erant portio, populum transfulerit, aut fortuitus loquendi usus, aut ciuium inuidia, aut quidquid demum causae probabilioris effingatur. Quod etsi haud leui omnino iniuria egregiorum institutorum auctores adficit, eo cum primis, quod honestissimo pulcerrimorum facinorum fructu, cultrice uidelicet posterorum conscientia, ipsos defraudet, est tamen quaedam, si recte perspicio, meritorum gloria et existimatio ampliori ambitu descripta, quam cuius capax satis priuati unius hominis habeatur ingenium. Mihi saepe numero talia cogitanti, uel sola de primo typographiae inuentore dubitatio, an dicam ignorantia, quae tot eruditissimorum uiuorum et paene gentium disceptationes peperit, et tantae inuentionis gloria difficulter admodum uni populo uindicta, luculenter testari uisa fuit diuinae artis dignitatem. Quibus certe

certe contentionibus illud indicari arbitror, nulli umquam nationi a foecundo ciuis cuiuspiam ingenio tantum accessisse laudis et decoris, quantum a primis typographiae auctõribus paratum est Germanis. Eo scilicet nomine promeriti sunt, ut non inferiori ab omnibus suspicerentur loco, quam inter antiqui orbis gentes habiti sunt.

*Phoenixes, primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus uocem signare figuris¹⁾.*

At enim uero neque iam animus est de typographiae laudibus differere, neque primorum inuentorum merita obliuioni eripere, neque communi patriae, uniuersae Germaniae, sua inde adferere ornamenta. Egregium in hoc argumento et ualde frequentem operam posuerunt hoc ipso cum primis anno, quo tertium ab inuenta typographiae arte saeculum condi computatur, praestantissimi uiri, et litterarum laude celeberrimi, qui publici undiquaque litterarii beneficii praecones saecularem illius memoriam recolendam commendauere. Ingenuum quidem, si quod umquam, meo iudicio illud factum, et ipsi pietatis legi consentaneum. Decebat utique liberaliora ingenia officii quidquam respondere, et bonas aliquot horas collocare cohonestandae celebrandaeque arti, cuius ministerio haud exiguam cultus sui partem in acceptis ferunt, et procuratam suis ipsorum monumentis perpetuitatem debebunt et omnium, si qui futuri sunt, posterorum admirationem. Quibus equidem uiris ut me immisceam, eiusdemue generis argumento, quod sua illi facundia pulcerrime percoluere, nouam differendi operam audeam addicere, adeo suffenus mihi non uideor. Verum rem haud prorsus ineptam me facturum confido, si et ego tempori aliquid daturus, materiam academico libello seposuero, ad quam pertractandam ultro inuitauit paullo adtentior typographiae contemplatio.

Cum enim illud maxime ipsius beneficio effectum sit, ut litterariae opes, quae antea non nisi pauciorum continebantur patrimonio, quasi publicae iam redditae, adeoque omnis generis libris in publica omnium luce uersantibus, ipsa res libraria in publicum quoddam institutum sit transformata, fieri non potuisse, ulro unusquisque animaduertit, quin singularem publicae curae partem eadem sibi uindicaret. Quod ita omnino euenisse, luculenter testantur publicae leges, quibus rem librariam undiquaque, et unde ipsi locupletissimae proueniunt suppetiae, ipsius typographiae exercitium ordinatum discimus. His ita penitus aliquantisper expensis, ad publicam rei librariae tutelam exponendam animum adplicuimus. Quod quidem argumentum cum illius sit amplitudinis, cui emetiendae uix iustioris uoluminis ambitus sufficiat, et nobis ad academici libelli fines diligenter respiciendum sit, in eo petraetando ita uersabimur, ut praecipua illius capita, et quae usu suo maxime commendantur, succincta commentatione persequamur, aut primis potius lineis describamus.

1) LVCANVS Bell. Ciu. Lib. III. u. 220. 221.

§. II.

PUBLICA REI LIBRARIAE TUTELA DEFINITVR.

Proprium quoddam uel pulcerrimorum institutorum est incommodum, quod quanto praestantiora in homines, si recte illis utantur, conferant emolumenta, tanto grauiora illorum abusus infligat mala. In utrocinque haereas effectum, ulro tandem apparebit, eundem rem ipsam publicam tangere, interdum prope fatis, aliquando non nisi remotius, at extrema certe adfectione semper in ipsam societatem ciuilem cadere. Quae uero quanto coniun-

ctior

Etior uniuscuiusque instituti cum publicae salutis incremento aut dispendio est cognatio, tanto potiore publicae curae partem idem sibi vindicare arbitror. In eo uidelicet omne supremae in ciuitate potestatis, quam maiestatem adpellare consueuimus, poni officium, ut, quidquid in rem publicam conferri possit bonorum, promoueat, contra quidquid malorum imminere prospiciatur, curiose impediat; uniuersim omnes consentiunt. Nec itaque inepte dictum puto, si quis uariis illis causarum publicarum tutelis ipsam maiestatem describi, aut omnino absolui existimauerit. Adhibeamus iterum signando maiestatis in istas causas iuri et officio, quod iam in ipsa commentationis fronte argumento nostro commodauimus, tutelae uocabulum. Cuius quidem usui nihil iam opus est, ut praetexamus TACITI¹) auctoritatem, qui eodem fere sensu eidemque argumento eam uocem adplicuisse Tiberium Imperatorem memorat, quando post Augusti excessum alienam a dominatus ambitione mentem simulans, se non toti rei publicae parem dixit, ita quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. Nec ille tutelae significatus ab instituto nostro magis foret alienus, si quem alium ei tribui religioni duxeris, quam eius definitioni conueniat, praeeunte SERUIO, AIVLIO PAVLLO,²) et ab ipso postea TRIBONIANO³) seruatae. Age retineamus, inflexis aliquot saltem uocabulis, eiusdem finitionis mentem, et eam quoque, quam nos ponimus, tutelam dici largimur, uim ac potestatem ad tuendum id uniuersim, quod seipsum defendere nequit. Illam uero tuendi uim ac potestatem in eo ponimus, ut iis, quae tutelae sunt commissa, omnia bona concilientur, et quae in illa cadere possunt mala, praecaeuantur. Pone iam illas causas, quas eo publicae tutelae uindicamus, quod ab ipsis publica simul salus pendeat,

eas

eas ita esse comparatas perspicies, ut aliunde defensionis praesidia planè nulla, siue quod perinde habetur, non satis idonea suppetant. Qua de re nemo dubitare potest, nisi quis prae fracte adfirmare ausit, ut rectè uti bonis suis norint, omnibus datum esse hominibus. Quae adhuc quasi praefati sumus, iam transferamus ad typographiam, qua quidem omnem rem librariam, in quantum hodie publica haberi potest, aut fere contineri, aut pendere omnino existimamus. Habet sane ars ista quam locupletissima, quae et in singulos, et in uniuersam adeo conferat ciuitatem praesidia, eo unice casu, si ad finem suum, publicam uidelicet salutem, ut debent omnia pulciora instituta, rectè illius usus contendat. Quod si eam spuriorum finium obiecto, ut saepe solet, a regio illo tramite seduci patiantur, tantum inde rei publicae metuendum est malorum, quantum ipsi ab inficetis, male sanis et turbulentis ingeniis imminere posse, unicuique persuasum est. Ecquo alio impediri posse modo, quam publica tutela, suspiceris, quin typographia funestis et exitiosis libellis perinde ac salutaribus et egregiis scriptionibus in uulgus proferendis operam suam addiceret. Publicam igitur rei librariae tutelam dicimus supremæ in ciuitate potestatis curam, cum diligenter cauendi, ne quid detrimenti ex typographia capiat res publica, tum efficiendi, ut omnia, quae inde suppetere possint emolumenta, quam plenissime percipiat.

1) Annal. Lib. I. Cap. II.

2) L. i. D. de tutel.

3) §. I. I. eod. Criticorum disceptationes de genuina finitionis huius lectione, cum aliis *uis* praestare uideatur, aliis *iuris* uocabulum eidem subrogare libeat, tam quam ab argumento nostro alienas, sponte praetermittimus.

§. III.

PVBLICA REI LIBRARIAE TVTELA MAXIME IN
GERMANIA NECESSARIA ET VERE
SVSCEPTA.

Principem tutelae illius partem auertendis malis occupauimus, quorum amplissimus ex artis abufu nasci potest prouentus, ipsi rei publicae ad modum perniciosus. Haec etsi adeo uera sunt, ut nulli ciuitati non conueniant, subsistere iuuat in illa, quae nos proxime tangit, et sua ipsius forma maxime singulari tanti dispendii experimentis omnium facillime potest esse obnoxia. Perlustremus cursim frequentissimas illas publicarum rerum commutationes, et notatu apprime dignas, quae a typographia inde primum inuenta euenerunt in Germania. Aequales fere cum illa instauratarum litterarum et artium origines ante iam memorauimus. Equidem illud adfirmare non ausim, quod profus auspiciores illi conatus, cum ingenuas didicisse fideliter artes Germani coeperint, emollierint mores, nec feros amplius esse siuerint. Illud sane in propatulo est, paullo post reductas litteras exui paullatim coepisse antiquam gentis ferociam, aut certe adeo mitigatam, ut non manibus confertis porro ius suum sibi quisque aut uindicaret, aut defenderet, sed quod antea uix priuati subierant, iam ipsi principes iure causam suam experirentur, et a iudicis arbitrio uictoriam expectarent. Pax inde profana publicis sanctionibus ordinata, et suprema imperii tribunalia condita. Conuerso itaque populi ad mitiora ingenio, fieri non potuit, quin in mutua diuersarum ciuitatum, quibus Germania continetur, pacato studio inquireretur iura, et ea quantocunque interpretationis ministerio euoluta, in lucem proferrentur, nouae itaque et nobilissimae illi iuris prudentiae parti, quam pu-

blicam adpellamus, amplissima praepararetur materia. Neque in his subsistere uisum, sed ipsa imperii forma, quam ad illa usque tempora, non nisi dispersa ueteris obseruantiae capita docebant, conceptis pactorum uerbis definita, suiue Imperatoris auctoritati fines constituti. Illuxerunt simul ea tempora christianae ciuitati auspiciatissima, quibus sacra doctrina natiuae puritati est restituta. Egregium illud et ardui conatus opus ipsam rem publicam mirifice adfecit. Nec enim nisi sanguine et caedibus et diuturnis bellis confici tum potuit, uitioe saeculi, an hominum, incertum. Tanti scilicet constitit diuini cultus libertas, cum uno alteroue coetu communicata, eaque limitibus suis curiose circumscripta, et ad certas doctrinae formulas publicis pactioibus restricta, et eum in modum munita, ut turbulentis et male sanis ingeniis, rem publicam intempestiuus diffidiis, et quae inde plerumque consequuntur, intestinis malis adfligendi, omnis praescinderetur occasio. Est in Germania tam propinquus et sacrae et ciuilibus libertatis nexus, ut eodem utraque palladio defendatur. Iisdem uidelicet pactioibus tabulis, quibus publico ciuitatis iure in imperio plenissime donatae sunt tres illae, ut loqui solemus, receptae religiones, et supremam in terris suis auctoritatem imperii ordinibus luculentissime adfertam, et familiarum principum et ciuitatum iura definita conspiciamus, singulis, quae post ea subsequutae sunt, conuentionibus diserte confirmata. Mirantur exterae gentes imperii Germanici formam, et qui fieri possit, ut tot ordines, et mutuo inter se nexu, et potentia ualde inaequales, non pacata tantum libertate, sed quod potius habetur, ipso in terris suis summo imperio tranquille perfruantur, difficulter ad modum adsequuntur. Et cauta omnino obseruatione opus est, ut bonis illis sua constet incolumitas, neque

per-

permittatur friuolis ingenijs, quae, si cui ciuitati, Germania certe sunt periculosa, publicum statum, tot laboribus, immo tantis fere omnium impensis, ordinatum, impetere. Quae aliis enim in regnis, siue de sacra doctrina, siue de ciuili regimine, disceptationes uix leuius tacturae forent ciuitatem, etiam si publicis scriptionibus agitatae, ex illis in Germania facillime repetuntur uberrima diffidentiae, discordiarum, contentionum et turbarum argumenta. Cum tamen nulla fere habeatur exterarum gentium societas, in qua impune, quidquid uelis scriptionum, moliri, et typographiae ministerio in publicam proferre lucem liceat, quanto magis insanabile illud scribendi, et in uulgus edendicoethes, adeoque ipsum typographiae exercitium, coercendum praecipit ipsa publicarum rerum in Germania conditio. Docent haec omnia, quam insignem publicae tutelae partem, quae rei librae impendatur, sibi tribuendam poscat typographiae abusus, qui quantus undiquaque deprehendatur, plures conquesti sunt, et peculiari olim libello exposuit, uir patriarum rerum non amantior minus, quam intelligentissimus, AHASVERVS FRITSCHIVS'). Et actum est omnino in Germania, ex quo sentiri coepit, quantum maiorum typographia in rem publicam inferre possit, ut publicis illa legibus recte ordinaretur, et bene illa utendi fruendique cura publicae subiiceretur auctoritati, et ad magistratus delegaretur. Nos iam in eo erimus, ut quid communibus Germaniae legibus hanc in rem sancitum sit, strictim exponamus. Deinceps ut ea, quae Saxoniae legibus constituta sint, simul edisseramus, operam dabimus. Quibus maxime ut aliquantum adtendamus, non ciuitatis magis propinquitas, et patriae amor pellicit, quam ipsa Saxoniae, et urbis nostrae praesertim in re librae dignatio postulat. Inter praecipua enim Lipsiae ornamenta illud quoque reponendum

ponendum esse arbitramur, quod, uti omnis generis mercatura maximopere illustratur, ita et frequentissimum per uniuersam Germaniam et celeberrimum rei librariæ habeatur emporium. Potuit uel sola illa negotiationis accessio, et debuit omnino Serenissimos Patriæ nostræ Patres pro eo, quo semper eminuerunt, publicæ salutis studio ultro permouere, ut sedulo cauerent, ne, unde omnis Germania, quin uniuersa Europa, qua cultiorum est partium, saluberrima scientiarum et ueræ felicitatis exspectat præsidia, tam quam ex Troiano equo exitiosa publicæ tranquillitati aequè ac priuatis commodis prodiret malorum lues. Alterum tutelæ publicæ in rem librariam caput efficiendi cura descripsimus, ut omnia, quæ inde suppetere possint emolumenta, quam plenissime percipiat res publica. Sed quidquid sit illius officii, propius ad summi principis prudentiam pertinet, cuius arbitrio definiendum est, quid et quo usu optime publicis bonis expediat. Nihil hanc in partem e nostris addere conabimur, ne intemptiuo iuuenilis audaciæ pruritu consilia proponere uideamur. Nostrum potius erit in ipsis euoluendis interpretandisque legibus morari, quæ hanc in rem sunt perscriptæ.

1) de abusibus typographiæ tollendis. Arnst. 1662.

§. IV.

TYPOGRAPHI PVBLICA AVCTORITATE CONSTITVI IVSSI.

Cum in illud incumbendum fuerit imperii ordinibus, ut, quos passim iam propullulasse deprehenderunt, typographiæ abusus omnino tollerentur, aut in posterum certe inferendorum illorum, quantum fieri possit, præscinderetur occasio, conducibile uisum fuit consilium, illud apprime curandi, ut in publica quasi omnium

luce

lucē uersaretur typographia. Occasionem eius rei suppeditauit ingens illa libellorum famosorum farrago, qui formis publicis exscripti undiquaque circumferebantur in Germania. Grauius laborare coepit isto malo communis patria eo cum primis tempore, ex quo purior doctrina luci suae restituta est. Neque dissimulamus, haec quidem in re ab utraque parte saepius peccatum esse, neque utri defuisse, qui contrariam uirulentis scriptis et contumeliarum plenis lacefferint. Ita uero saepius priuati erroris petulantia rem publicam adfixit, quando quidem concitados principum animos asperius exacerbauit, et clandestini metus argumenta in apertas discordias deduxit. Multum hac de causa conqueruntur omnes paene publicae imperii leges, quas recessuum nomine uulgo signamus, quotquot earum fere proximo a reformatis sacris saeculo prodierunt ¹⁾. Cuius ergo generis libellis ut officeretur, de ipsius artis exercitio ordinando cogitatum est, cuius ope, quidquid est scriptionis, uulgi manus facillime peruagatur, et uti plerumque accidit, dum uni malo quaesita sunt remedia, pluribus simul obuiam itum est, quando perscriptis communium legum sanctionibus in publica luce uersari iussa est typographia. Primo enim cautum est, ne quid amplius in lucem ederetur, nisi expresso eius, qui formis exscripserit, et natalis urbis nomine ²⁾. Verum ubi ne sic quidem latebrosis illis impressionum moliminibus praecaueri satis uisum fuit, ipsae typographicae officinae omnibus urbibus exesse iussae sunt, quam illis, quae aut praesenti Electoris Principisue numine, aut, uti loquendi est formula, studiorum uniuersitate illustrantur, aut inter nobiliores imperii liberas ciuitates habentur. Constitutum est insuper, ne quis admittatur officinae typographicae magister, nisi uir probus, honestus, et arti suae omnino

idoneus, talisque a magistratu loci, in quo ipsi domicilium est, ante agnitus, et peculiari iure iurando adstrictus, ut artem eo modo exerceat, quem publicae leges praescripserunt ³⁾. Quae omnia fere, et quidquid praeter ea superioribus imperii legibus typographiae recte exercendae causa frequentissime constitutum est, nouo edicto reuocauit in memoriam, et diligenti omnium obseruantiae enixe commendauit Augustissimus Imperator Carolus VI. ⁴⁾. Proxime cum his communibus imperii legibus conueniunt Saxonicae hanc in rem constitutiones, maxime illa, qua D. Augustus Elector ⁵⁾ edixit, ne qua in alia urbe, quam Wittebergae, Lipsiae et Dresdae, officinas typographicas condi permitteretur. Quae ceteroquin lege illa imperii praecipuntur, de uiris probis, honestis et idoneis, officinae cuique typographicae praeficiendis, et legum obseruantiae iure iurando adstringendis, ea iisdem paene uerbis, ad Saxoniae statum temperatis, eadem inculcat Augusti constitutio. Illud etiam exigit, ut quidquid in publicam lucem prodeat, et auctoris et librarii nomen et cognomen, et expressam natalis urbis et anni mentionem prae se ferat. Additur in legis huius transgressores poenalis sanctio, librorum confiscatio, multa, aut alia, quae ex re fore uidebitur, poena extraordinaria. Iuris iurandi post ea formula, quo typographi necerentur, Regio edicto praescripta est, quo simul superiores leges, in hanc rem perlatas, denuo confirmari legimus ⁶⁾. Verum enim uero sunt quaedam earum capita, quae usu fere obliterata, aut certe neglecta suspicamur. Quis enim non in dies prodire nouit libellos, aut nullo prorsus siue auctoris, siue librarii, siue natalis foli nomine notatos, aut illud temere mentitos, impune plerumque omnia, nisi rerum argumenta, quae illis continentur, ultricem iustitiam prouocent. Deinde illius quoque capitis usum frustra

fra desideraueris, quod non nisi nobiliores urbes typographiae adsignat sedes. Cui quidem ita suam constare auctoritatem existimamus, ut magistratui municipali haud integrum sit, condendae eius modi officinae in oppido, quod ante nulla fuerit instructum, facultatem indulgere, sed eam concedendi arbitrium unice ad Principem pertineat. Ecquod uero hodie tam ignobile in Germania est oppidulum, quod non iactitet apud se fatigari prela? Caue tibi persuadeas, eo ipso frequentissimo artis exercitio ultro illius euinci praestantiam, ad cuius ita summum fastigium nostra aetate peruenerit. Ego quidem rectius habere mihi uideor, illam officinarum multitudinem hoc ipso aeuo non minus, ac illo uetustiori, praecipuis artis abusibus esse adnumerandam, aut illis certe mirifice obstetricari. Quantulum enim est praesidii, quod ex illis officinarum latebris percipiat res litteraria, cui sane si non famuletur, carere paene possumus typographia. Dabunt frequentius infulsos plebeiis hymenaeis dictos adplausus, inepta in libitinam conuicia, si quam forte municipis familiam capite minuerit, et alia eius generis inficeta carmina, poenitenda musarum Germanicarum dedecora. Possent id quidem occupationis facile relinqui municipalibus prelis, ut ne incolarum quempiam chartis inornatum sileri, eiusue labores impune liuidas obliuiones carpere paterentur. Nihil inde, fateor, in rem publicam detrimenti, immo ita iis deberentur potius turis et piperis inuolucra, et pingues culiniae alimoniae praeparatae. At grauius est, quod obscurae illae officinae tutissima pessimi cuiusque libelli habeantur receptacula, unde uarios per anfractus tamquam ex machina in publicam scenam prorepant.

- 1) Primae de illis libellis famosissimae querelae habentur in conuentione illa, inter Ferdinandum Austriacum, qui tum temporis

ris pro Imperatore erat, et aliquot imperii ordines, pontificiis partibus addictos, in comitiis Norimbergenfibus c10 10 XXIII. confecta. Vid. I. C. LVNIGII Reichs-Archiu, Part. Gen. Cont. I. pag. 454. Grauius ea urgeri leguntur in Rec. Imp. Spir. d. a. 1529. §. 8. Rec. Imp. August. d. a. 1530. §. 58. Rec. Imp. Ratisp. d. a. 1541. §. 40. Edict. Carol. V. de censura librorum d. a. 1548. ap. LVNIGIVM cit. loc. pag. 849. Rec. Imp. Spir. d. a. 1570. §. 154. Ordin. Polit. Francof. d. a. 1577. tit. 53. §. I. 2. 3. 4.

2) Rec. Imp. August. d. a. 1530. §. 58.

3) In Rec. Imp. Spir. d. a. 1570. Postquam de veterum hanc in rem constitutionum neglectu multum monitum est, §. 155. haec habentur: Darauf setzen, ordnen und vollen vvir, das hinführo im Römischen gantzen Reich Buchtruckereyen, an keine andre Oerter, denn in denen Städten, da Churfürsten und Fürsten ihre gewöhnliche Hoff-Haltung haben, oder da Universitates Studiorum gehalten, oder in ansehnlichen Reichs-Stätten verstatet, aber sonst alle Winckel-Truckereyen stracks abgeschafft vwerden sollen. Sequenti §. 156. haec sancita: Zum andern soll kein Buchtrucker zugelassen vwerden, der nit zuserfordert von seiner Obrigkeit, da er haeuslich stzt, dazu redlich, ehrbar, und allerdings rüglich erkennt, auch daselbst mit sonderm leiblichen Eyd beladen, in seinen Trucken, jetzigen und andern Reichs-Abchieden sich gemaes zu verhalten.

4) D. d. 18. Iul. 1715. Contuenit cum eo Rescriptum Caesareum, ad Circulorum Duces eodem die datum, item commune Imperialis Camerae decretum, quo die 18. Sept. eiusdem anni edictum illud Augustissimi Imperatoris publicatum fuit. Vid. ANTONII FABRI Staats-Cantzley, Tom. XXVI. p. 728. seqq. Elect. Iur. Publ. Tom. VIII. p. 81. seqq.

5) in Mandat. de libellis famosis d. 26. Maj. 1571. in Cod. August. Tom. I. pag. 407.

6) in Rescript. d. d. 24. Iul. 1711. ibid. p. 415. in Mandat. d. d. 14. April. 1717. ibid. p. 417.

§. V.

CENSORES LIBRIS EXAMINANDIS
PRAEFECTI.

Eodem consilio, ne quid inueheretur in rem publicam detrimenti ex typographiae abusu, librorum censura introducta est, qua notione intelligimus curam et potestatem, uiris idoneis auctoritate publica delegatam, libros in publicum edendos inspiciendi examinandique, deque illis pronunciandi, an sine ecclesiae, rei publicae ciuilis et honestatis detrimento publicae luci exponi possint. Debet hoc institutum, uti uidetur, origines suas Romanae curiae, quae paullo post inuentam typographiam tanto curiosius sibi cauendum rata est, ne promiscua omnes libros formis excribendi, et ita omnium inferendi manibus suppeteret facultas, quanto inde dominatui suo grauiora imminere pericula prospexit. Primum huic rei animum aduertisse Alexandrum VI. Romanum Pontificem, eumque in finem, ne quem libellum typographus aeri mandaret, sine indulto, quem ipsi praeuio examine impertiret episcopus, sub excommunicationis poena edixisse, NATALIS ALEXANDER ¹⁾ meminit. Penitius causam hanc definiuit Leo X. in Concilio Lateranensi V. quod c. 10. xv. habitum est ²⁾. In urbe Roma praefertim librorum censuram, pae-nes Pontificis Vicarium et sacri palatii Magistrum, in aliis locis penes dioeceseos episcopum, aut cui eam ille delegauerit, et haereticae prauitatis inquisitorem, et propria horum censorum subscriptione libri exemplum adprobandum esse uoluit. Ita omnem aut praecipuam fere rei librariae curam ecclesiastico magistratui uindicare uisum est. Qui contra fecerint, in eos grauissimae poenae dictae sunt, ut amitterent uidelicet impressos libros, publice comburendos, in D. Petri fabricam centum ducatos exsoluerent,

C

impressiois

impressionis exercitio per integrum annum interdicerentur, et excommunicationis fulmine percussi, omnibus demum, si quidem in sua contumacia perstiterint, iuris castigarentur remediis. Fortiora his omnibus robora superaddere adlaborauere concilii Tridentini patres, quando eadem Lateranensis decreti capita sua fecerunt, et nouis sanctionibus inculcauere ³⁾. Noua illis paullo deinde substrauit fulcra librorum prohibitorum index, censurae regulis studiose descriptis. Verum nec ita quidem obtineri potuit, ut omnes una principes, obsequiosi ceteroquin Romanae sedis cultores, librorum censuram in terris suis Romani Pontificis arbitrio relinquerent. Gallia sane, quae nullam umquam illis concilii Tridentini placitis, quibus disciplinam ecclesiasticam ordinare, aut ecclesiae Gallicanae libertati officere deprehenditur, indulgit auctoritatem, omnem semper librariae rei curam regiae potestati unice fuisse uoluit. Fuit semper et adhuc est principis in toga uiri, penes quem regii sigilli est custodia, ut imprimendi cuiusuis libri, postea quam suffragio eruditi uiri, cui examinandum mandauit, comprobatum agnouit, potestatem faciat. Neque ipsa Germania, ceterum pontificiis partibus addicta, quantumuis faciliori obsequio concilii Tridentini decretis se submiserit, praescriptam librorum censurae normam sequi e re sua iudicauit. Praeterquam quod ecclesiastico magistratui iuris quidquam tribui solet in perscrutandis libris, qui ad sacrae doctrinae argumentum et ecclesiae causas propius pertinent, nihil plane acerrimis illis Romanae sedis satellitibus, haereticae prauitatis inquisitoribus, hac in re datur, quippe quos prudenti consilio ignorare semper uoluit Germania. Quibus primum commendari coepit librorum censura publicis imperii legibus, illae ad unam omnes cuiusque ciuitatis magi-

magistratui eam curandam, aliisue idoneis hanc in rem uiris demandandam permittunt ⁴). Imo eam ita illi assignant, ut si quis officio suo his in partibus deesse deprehendatur magistratus, neglectus sui a Fiscali Caesareo postuletur, Camerae imperialis arbitrio extra ordinem puniendus ⁵). Etsi non inficior, ita fere postulasse peculiarem illam causam, unde maxime legum illarum perferendarum nata est occasio, famosorum scilicet libellorum frequentiam, non nisi magistratus ciuilibus auctoritate undiquaque coercendam. Neque uero post ea, publicatis concilii Tridentini canonibus, hac in causa quidquam per Germaniam immutatum esse nouimus. Quidquid eorum sit, principes protestantium sacris addicti, uti omnem rei librariae sibi adferuerunt tutelam, ita librorum omnis generis censuram suis auspiciis faciendam uoluerunt, recte quidem et egregio rei publicae bono, siue illam supremi circa sacra iuris portionem habeas, siue, quod eodem redit, sua ipsius natura, ut singulas publicorum institutorum tutelam, ad summam potestatem ciuilem pertinere arbitreris. Verum aliis plane finibus, quam Romanae curiae astutia, librorum censuram adtemperauit Protestantium principum prudentia. Quam enim illa sentiendi libertatis obicem, et in conscientias imperii adminiculum effinxit, eam haec publicae rei detrimentis posuit cautionem. Nihil iam opus est, longinquius ex omnibus illorum ditionibus rei huius argumenta conquirere. Subsistere praestat in illis, quae proxime ad nos pertingunt. Iam dudum ne quis libellus in Saxonia typis exseriberetur distraheretur in uulgus, nisi alterutrius Academiae, Lipsiensis aut Wittebergensis censura probatus, Augustus edixit ⁶). Post ea Ioannis Georgii II. mandato ⁷) praeceptum est, ut libri uniuscuiusque censors in maiorem rei fidem nomen suum subscriberent.

Subfequutae funt aliae leges complures, quibus librorum cenfuram enixe commendauere Sereniffimi Patriae Patres⁸⁾). Tandem D. Auguftus, Rex et Elector, iteratis fationibus eam denuo inculcauit⁹⁾, et eidem cum confitutis cenfores fub grauioris indignationis, ut ne quid umquam illam adtendere, tum ipfos typographos, ut ne quid umquam illam fubterfugientes aeri mandarent, proferrentue in publicum, iuris iurandi religione adstringi iuffit, et nouam illius, quam ante iam memorauimus, formulam praefcriptit.

- 1) Hift. Eccl. Tom. VIII. ad Saec. XV. et XVI. Cap. I. art. XI.
- 2) Conf. IOANNIS HARDVINI A&C. Concil. Tom. IX. pag. 1780.
- 3) Vid. Concil. Trident. Sefl. III.
- 4) Rec. Imp. Spir. d. a. 1529. §. 89. Was derhalben weiter gedicht, getruckt oder feil gehabt wird, das foll zuvor von jeder Oberkeit durch dazu verordnete verftändige Perfonen befichtigt werden. Et Recefl. Imp. Auguft. d. a. 1530. §. 58. cauetur: Dafs ein jeder Churfürft, Fürft und Ständ des Reichs, *geiftlich und weltlich* - - mit ernftem Fleifs Verfehung thun, dafs hinfürter nichts neues, und fonderlich Schmähschriften, Gemähle oder dergleichen, weder öffentlich noch heimlich gedruckt, oder feyl gehabt werden, es fey dann zuvor durch diefelb *geiftlich oder weltlich Oberkeit* darzu verordnete verftändige Perfonen befichtigt etc. In Recefl. Imp. Spir. d. a. 1570. post alias cautiones §. 156. edicitur: Zum vierdten foll keiner etwas zu trucken Macht haben, dafs nit zuvor von feiner Obrigkeit erfehen, und alfo zu trucken erlaubt were.
- 5) Dict. Recefl. Auguft. cit. loc. tandem fequitur claufula. Und wo einige Oberkeit, fie were wo fie woll, hierin läffig befunden würde, alsdann foll und mag unfer Kayferlicher Fiffal gegen derfelben Oberkeit um die Straff procediren und fortfahren, welche Straff nach Gelegenheit jeder Oberkeit, und derfelben Fahrläffigkeit, unfer Kayferlich Cammergericht zu fetzen und zu taxiren Macht haben foll. In Recefl. pariter Spirensi, cuius ante caput adtulimus, feuera §. 159. additur in magistratus comminatio, futurum, ut, fi forte fuam in tuendis hifce legibus diligentiam defiderari patiantur, grauiffimam Imperatoris incurrant indignationem.
- 6) Mand. d. d. 14. Sept. 1562. et d. d. 26. Mai. 1571. Cod. Aug. Tom. I. pag. 406. feqq.
- 7) d. d.

- 7) d. d. 20. Nou. 1661. ibid. pag. 41.
 8) Pertinent huc mandata Ioannis Georgii III. d. d. 5. Dec. 1683. et
 27. Febr. 1686. ibid.
 9) Haec sanctiones sunt eadem, quas sub finem §. superioris ad-
 legauimus.

10) Iuris iurandi formulam sistit Mandatum Regium d. a. 1717.
 et quae inde cum primis huc pertinent, ita se habent:

Ich N. N. schwöre, daß ich künftige Zeit ohne Vorwissen und Unterschrift
 des Decani der Facultat zu Leipzig oder Wittenberg, darinnen die Mate-
 ria, so mir zu drucken übergeben werden möchte, gehörig, oder desjeni-
 gen, welchem solches von ihnen aufgetragen, auch in Poesi ohne des Su-
 perintendentens zu N. oder wem ers sonsten auftragen wird, subscription
 nichts drucken will etc.

§. VI.

CENSURA LIBRORVM AB OBTRACTATIONIBVS
VINDICATA.

Vt uero adpareat, quod adhuc adfirmare ausi sumus,
 introductam librorum censuram uerae prudentiae deberi,
 maxime in illius fines intuendum est, quibus ipsis censo-
 rum officium describitur. Hoc etsi unice eo dirigen-
 dum est, ne quid ex libris in uulgas editis detrimenti ca-
 piat res publica, cuius saluti, quidquid est humanarum so-
 cietatum, debet subordinari, uisum tamen in ipsa libro-
 rum censurae finitione, quam superius formauimus, ali-
 quantisper distinctius illam euoluere. Eo igitur respi-
 ciendum esse statuimus, an libri examinandi editio, sine
 ecclesiae, rei publicae ciuilibus, et honestatis detrimento pos-
 sit permitti. Dandum erat aliquid receptae olim opi-
 nioni, quae societatem ecclesiasticam a ciuili dispefcuit,
 et quantumuis recentiorum sententiis fortiter impugna-
 ta, ita tamen omnino elidi non potuit, ne quid conclusio-
 num in publicam aequae ac priuatam iuris disciplinam in-
 uectarum superesset. Haec ubi aliquantisper expendi-
 mus, facile nos permouerunt, ut ecclesiae pariter ac rei

publicae ciuilis, cuius quidem utriusque commoda, si uera sunt, quam amicissime conspirant, in censura librorum rationem habendam esse adstruxerimus. Subiunximus tertium cautionis, in censura librorum adhibendae, argumentum, honestatis uidelicet custodiam, quam neque ab utroque priorum ita distinctam putamus, ut non communia omnium sint emolumenta et dispendia. Verum sunt quaedam scriptiones, quae nec ad ecclesiam, nec ad ciuitatem, nisi per ambages aliquantis per remotiores, pertingere uidentur, honestatem tamen ualde laedunt, eoque nomine publicae lucis usura prudenter interdicuntur. Honestatis itaque curam librorum censurae immiscentes, id effecisse nobis uidemur, ut et legibus in hanc rem scriptis, quod post ea edocebitur, nostrae obseruationes conuenirent, et omnibus simul libris, quos in publicum proferre nefas est, in tres classes diuisis, aequales constituerentur gradus, quibus proxime abesse ab illa causa cognoscerentur, in quam offenderent. Honestati utique non minus, quam tranquillitati publicae prospiciendum esse, ne quid ex ea promiscua librorum in uulgo editione detrimenti capiat, omnes consentiunt, illi etiam, qui uaria ceteroquin caussari solent, quibus librorum censuram impetant. Non aequè omnium suffragiis firmatur, quod eadem in illo negotio ecclesiae cura sit habenda, ne quid receptis in illa doctrinis contrarium euulgari permittatur. Neque inficias iri potest, speciosa esse, quae hanc in rem edisseruntur. Ita nimirum sentiendi libertatem, qua nihil erectiori ingenio euenire potest praestabilius, seuerioribus, quam par erat, limitibus circumscribi conueruntur, et solidiorem ueritatis disquisitionem impediri, et his positis futurum fuisse, ut nulla unquam sacrorum reformatio perfici potuisset. Prohiberi

beri, quo minus libere de quavis doctrina cogitationes exponas, idem habent, ac exigi, ut uulgaribus opinionibus sine ullo examine caecum adfensum praebeas. Neque metuendum putant, ne integerrima illa preli libertas noxiis erroribus incautos animos inficiat, nec enim defuturos, qui solide illis confutandis operam praestent, nec fieri posse, quin ueritatis lux errorum nebulas discutiat. Ipsam censuram euenire saepius rem inuidiae plenam perhibent, nec ita eos, quibus committitur, ab humanitate alienos, ut nihil omnino amicitiae, aut odio, aut inueteratis praedudiciis tribuant. Felicissimas ergo hac in parte Britanniae et foederati Belgii prouincias, unice dignas, quas aut patriam fortiantur, aut sedes sibi deligant eruditi, ubi sentire, quae uelis, et scribere, quae sentias, et liberrimi preli beneficio euulgare, quae scripseris, liceat. Verum hos quidem domesticorum institutorum obrectatores, quibus aliena perplacent, paullo curatius intueri uelim in ipsam earum ciuitatum formam, quarum exempla iacitant, et quibus illae sustententur regnandi artibus. Non infimam illae publicae felicitatis partem in eo ponunt, ut, quam quisque uelit, fidei doctrinam profiteri, et uti cuique sectae libuerit, cultum exercere liceat. Nec isti minus ideo tranquille uiuunt, quam si una omnibus eademque de fidei rebus esset sententia. Quid igitur opus obicem ponere diuulgandis huius generis scriptionibus, cuiusdemum sectae patrocinentur? quasi uero haec curet populus. Fac centum nouas in Angliam Belgiumue sectas irrepere, at cur irrepant cum tuto prodire possint? uix eam concitabunt popularium animorum contentionem, quam amputatae magistro nauis auriculae, aut nauicula Hispani praedonis impetu erepta. Adde quod Britanni maxime plenioris imprimendi libertatis tam rigidi sint ad-

feriores

fectores, ut ea restricta in acerbissimas querelas, libertati nationis Anglicanae insidias strui, subito erumpant¹). Caue tamen existimes, nullos omnino in illis terris typographiæ exercitio positos esse fines. Suppetunt sane, quæ adlegari possent, si uacaret, non infrequentia rerum gestarum exempla, quibus id sedulo actum constat, ne illa tam celebrata preli libertas in licentiam degeneret, publicæ tranquillitati exitiosam. Ecceur non Germania idem caueat? ecquo alio modo recte caueat, quam temperatis in præsentem statum consiliis? At quanto plus laboris et sanguinis constitit, donec eo peruentum sit, ut eo, quo iam habentur, statu res ecclesiasticæ componerentur, tanto enixius curandum est, ne petulantia ingenia nouandi studio turbas excitent, et ex intestinis malis, quibuscum diu satis conflictata est Germania, recrudescant uulnera. Gaudet sua quisque sentiendi libertate, nec illi opitulabitur, neque officiet laxior restrictiorue preli libertas. Finge omnem illam tolli, nihil ideo ad intellectum. Animus saltim uanae gloriolæ nouationibus parandæ appetentior aegre feret, facilius sibi conquirendi sectatores subsidia eripi. Verum libere sentire poteris, quæ uel solus sentias. Nemo eorum umquam, quisquis in censuram liberius dixit, eo proteruiæ processit, ut hoc quoque nomine accusauerit, quod impediret, quo minus libelli publicæ quieti periculosi proferrentur. Sunt autem uel maxime tales, qui stabilitæ apud nos rerum ecclesiasticarum formæ contrarium quidquam moliuntur, siue doctrinam impetant, siue disciplinam. Tantum scilicet interest Germaniæ, tres illas religiones, quas publicæ leges ciuitate quasi donauerunt, illibatas seruari, et ab omni offensa immunes, et eo, quo iam diu sunt, ordine dispositas. Plus simplici uice hoc ipso, quod agimus, saeculo adparuit, quantum rem publicam adficiant

adfaciant uel leuiiores, aut saltim nonnullis tales uisae, in ecclesia nouationes. Nec efficacius, quae inde conflare coeperant, turbis officii posse, habuerunt plerumque principes, quam omnibus scriptionibus, quo minus euulgarentur, prohibitis, quaecumque ad tam anceps argumentum pertinerent, siue illi nouationi praesidia pararent, siue euerticula. Ceterum largiamur, censuram, uti omnia solent instituta, suis laborare abusibus, quantuli quaeso illi, si ad incommoda et detrimenta conferas, quae promiscua preli libertas in rem publicam inueheret. At his ipsis abusibus, maxime apud Protestantes, cura eadem publica, quae censorum auctoritatem et officium definiuit, modos suos posuit, cum illis haud integrum sit, quemcumque uelint, librum reiicere, nisi classium alicui recte adscribendum, quibus descripti sunt improbae lectionis libri, uti statim excutiemus.

1) Conferri huc merentur, quae habet IOANNES CLERICVS, dans la bibliotheque choisie, Tom. XV. P. I. art. I.

§. VII.

LIBRI PROHIBITI CLASSIBVS SVIS AD GERMANIAE STATVM DESCRIPTI.

Iam demum his expositis, in classes suas redigere licebit libros, quos publica luce interdiceret, moris est et consilii. Ad quod cum adgredimur, non iam id agemus, ut ex finibus ita spuris, uti Romana curia in librorum prohibitorum indice, qui et impudentissimum facinus expurgandi libros interpolandique suppeditauere, classes illas reperamus, quas praestat omnino ex ipsa rei natura discernere. Constituuntur illarum totidem, quot posuimus obiecta, quorum ne cui noxius proferatur liber, cauendum est. At singularum classium plures habentur partes, uti sunt nempe plures modi, quibus in illa peccari potest argu-
D
gumenta

gumenta, quamuis idem saepiuscule liber in singula delinquat. Ita ecclesiae detrimenta inferunt duo maxime librorum genera, quorum alterum, quod etiam grauissimum est, illis constat, qui omnem ecclesiam laedunt, quamcunque societatem, cultus diuini exercendi causâ constitutam, hoc nomine intellexeris, nulla plane formulae, cui se adstrinxerit, habita ratione. Huc maxime pertinent libri athei et omnino impii, qui omnem utique religionem euertunt, iure merito aeternis abscondendi tenebris. Quales tamen in scriptiones si debet inquiri pronunciarie, caute agendum, ne nimium maleuolis longinquarum conclusionum artificibus detur, qui saepe inuidiae causâ, impietatis et atheismi librum postulant, quem non intelligunt, aut suis ipsorum finibus minus obsecundare perspiciunt, longe magis impie Dei causam priuatis aemulationibus et inimicitiiis ausi praetexere. Misera profecto et pudenda humanorum ingeniorum malitia, in eo collocare operam fictionum fertilem, ut de ueritate, quae omnium princeps est, dubitantem alium, uel inuitum, euincas, aut plane illius incredulum. Iusto haud duriores ut uideamur, fore arbitramur, si eundem cum libris impiis, et omni religioni aduersis, in censum referamus magicos et diuinationibus refertos. Visi sunt ipsis Romanis adeo improbatæ lectionis, ut ne quidem in familiam eriscundam illos deducendos, sed corrumpendos protinus edixerit VLPIANVS ¹⁾. Incautius cum illis actum esse superioribus saeculis, quibus magiae spectra fuerunt terribiliora, quam par erat, et ubiuis fere deprehendi consueuerunt, non inficiamur. Difficilius illis terretur aut pellicitur nostra aetas, neque perinde ac olim metuendum, ne illis etiam, qui sapientiores reliquis habentur, imponant ludicra magiae simulacra, communibus omnium suffragiis eo, quo decet, anilium

animum nempe commentorum numero haberi solita. Neque tamen ideo consultum est permittere, ut huius generis librorum, in publica luce uersantium, facilis unicuique suppetat copia, cum omnino metuendum sit, ne incautiores animos corrumpant. Ea scilicet harum nugarum est natura, ut, quae inde exspectari possit utilitas, cum nulla sit, corruptelis suos unice prodant effectus. Bonum igitur factum semper existimaui, omnes, quot ego quidem inspexi, Papalis indultus formulas, quas litterati maxime in Italia uiri, et suae consulturi conscientiae, et uberiora praesidia scientiarum sibi conquisituri, a Sancto, uti uocant, Officio expetere solent, si uel amplissimae concedantur, ita concipi, ut libri magici disertis uerbis interdicantur lectione. Nec faniores rerum harum aestimatores unquam a se impetrabunt, ut bonas horas ineptiis illis inspiciendis perditum eant: qui adeo stolidi sunt, ut illis perlegendis animum adplicent, satis hoc ipso produnt, nec idoneos esse habendos, qui puerilis in uetita pruritus illecebris resistant. Alterum deinceps librorum genus ecclesiam laedere habetur, qui non in uniuersam quidem, quocumque respectu posueris, sed in eam apprime peccant, quae in ciuitatem, ubi prodeunt, publica recepta est auctoritate. Vnde consequitur, posse interdum, ut idem liber in alia ciuitate bonus habeatur, et ecclesiae admodum praestabilis, qui ex alia tam quam ualde noxius iure suo eiicitur. Inquirere iuuat aliquantisper in hoc librorum genus pro praesenti Germaniae statu. Quo id euincitur, non eo solum pertinere illos libros, qui Christianae fidei doctrinam generatim et reuelationem diuinam labefactare audent, sed illos etiam, qui Christianae ueritatis speciem prae se ferentes, haereticorum habentur numero. Ego uero hanc haereticorum uocem non conuiciandi potestate, uti plerumque solet, usurpari uelim, sed ciuilem illi potius

tribui significatum, ut uniuersim ea notet omnia, quae ad sectam aliquam religiosam pertineant, publicis ciuitatis legibus haud probatam. Hoc sane sensu si haereticos publicis etiam imperii legibus dixerint sub ipsa reformationis primordia, uix iniuriae quidquam Protestantibus intulisse uidentur reliqui ordines, pontificiis partibus addicti, quorum maior tum temporis erat in comitiis numerus, adeoque potior in publicis negotiis ordinandis auctoritas²). At grauior omnino foret iniuria, eodem nomine illos adficere, post ea quam publicis pactioibus in omnium iurium, quibus generatim in imperio frui consueuerant Catholici, uocati sunt communionem. Haereticorum illis unice tribuimus nomen, qui aliam quam e tribus unam in imperio Germanico probatis et receptis, religionem tuentur. Quales quidem sectae cum omnes et singulae Germaniae finibus exesse iubeantur, neque libera scriptorum proferendarum erit copia, unde ipsis sua constent praesidia. Cui enim bono, quae iuris specie doctrinam luci publicae sisti censeas, quae quo minus in usum deducatur, se uere prohibitum est. Deinde iure suo illi libri, qui receptis in Germanicam ciuitatem religionibus generatim aduersantur, publico eximuntur commercio. Quid paucis ante annis cum petulanti illa pentateuchi in uernaculam linguam translatione, quae a natali solo peruulgatum Werthemensis cognomen sortita est, eo nomine actum fuerit, in recenti omnium uersatur memoria. E contrario cum tres illae religiones liberrimo gaudeant exercitio, consequens est, ut etiam, quod insignis eius iuris habenda est portio, publicis scriptis, quas profitentur, doctrinas exponere, et ab obiectionibus modeste uindicare, quam liberrime liceat. Haec liberi exercitii iura tribus illis religionibus luculenter competunt, si de uniuerso imperii Germanici

Germanici complexū dispicias: si ad singulas, quibus illud constat, ciuitates transtuleris, non aequae ualent. Illis certe conueniunt, quae promiscuum unius alteriusque, triumue omnium religionum exercitium pridem admiserunt. Cum uero aliae sint ciuitates, quae sacris pontificiis dudum eiectis, nullam umquam reuertendi spem reliquam esse uoluerunt, aliae contra, quae inueteratis illis perpetuam seruari maluerunt auctoritatem, utriusque fini prospexerunt mutuae pactiones, quibus spondere uisum, ut perstet in perpetuum ea religionis et ecclesiastici status conditio, qualis definito huic causae anno, quem decretorium uocamus, in unaquaque ciuitate fuerit. Reperiuntur utique per Germaniam ciuitates, eaeque finibus ad modum spatiosae descriptae, in quibus ita unius saltem religionis eminent dominatus, ut aliam plane non ferat, neque libertatis illius, quam tribus adferunt imperii leges, ulla deprehendas uestigia, nisi forte illam flebili emigrationis beneficio prodi suspiceris. In illis ergo nihil librorum euulgare, nihil eo aliunde inuehere integrum est, quibus doctrinae ab illa religione, quam unice colunt, diuersae uenditantur. Iure ita optimo Augustus Elector cauit, ne quis in Saxonia liber, doctrinae libris symbolicis receptae aduersaturus, imprimeretur, aut exponeretur uenum, aliunde illatus ³). Et recentiori Augusti Regis rescripto, id ad illos etiam extensum est, qui apud exteros publicati denuo in Saxonia prelo subiicerentur, neque theologico libro, alienis a doctrina publice recepta partibus patrocinant, operam illam praestare permissum, nisi eiusdem molimina solida confutatione, quae una exscriberetur, Theologorum ordo infregerit ⁴). Multo rigidius, quo minus in ditiones suas perferantur contrarii doctrinis pontificiis libri, Catholici principes impediunt. Nec iniuste illud pro

praesenti rerum publicarum et ecclesiae statu, modo intra officii fines ita se contineant, ut libros illos publico saltem eximant commercio. At in publicas leges haud dubie delinquitur, si Protestantium libri, quod interdum solet, publice comburendi carnifici subiiciuntur, infamiae ita quasi nota in doctrinam deriuata, quam publica foedera et solennes sanctiones ciuili libertate cohonestarunt. Quod quidem facinus eo minus ferendum est, quo acrius priuatas quoque iniurias, uni e tribus receptis religioni illatas, sibi uindicandas sumere imperii ordines. Singularem huic negotio curam praestat Corpus Euangelicum, quod sibi maxime cauendum censet, ne quid contra imperii leges in ecclesiam audeatur, eoque nomine iniuriosis in illam libellis, quin impune circumferantur, omni contentione intercedit, cuius rei exempla prostant satis copiosa ¹⁾. Alteram librorum prohibendorum classem constituunt illi, qui rei publicae ciuili aduersantur. Huc referendi sunt cum illi perditissimi libelli, qui unicuique ciuitati sunt exitiosi, eo quod omnem summam potestatem in re publica impetant, et ita seditionibus patrocinantibus, sanctissimum inter principes et ciues uinculum disrumpere conantur, tum illi etiam, qui maxime in publicam illius, ubi prodeunt, ciuitatis formam et iura peccant. Quo quidem in argumento ubi tanta cum cautione uersandum sit, uix alia suppetit rei publicae forma, quam ipsius nostrae Germaniae, quae iuris publici disciplinam priuatis scriptionibus excolendam permittit, et omnino exigit. Cum tot illa distinctas complectatur ciuitates, tot diuersos inter se ordines, et habeat denique speciose prae aliis eminentem superioris potestatis personam, et singulis sua iura publicae leges tribuerint, ut in eorum quidquam priuatorum libellorum grassetur licentia, permitti haud potest. Sic accidere interdum

terdum potest, ut quis eius argumenti libellus, alii ciuitati ualde iniuriosus et ultricibus flammis dignus habeatur, quem alia egregium iurium suorum uindicem suspicit. Quae ne temere nimis enunciaſſe argueremur, recentibus adlatis exemplis euinci poſſet, niſi iam intempetiuum uideretur, publicarum contentionum renouare memoriam. Illud quoque non praetereundum, detrimenta interdum imminere ciuitati ex libris, qui ceteroquin egregie ipſius formae conueniunt, immo iuribus patrocinantur, nec aliud quidquam in ſe continent iniurioſum, niſi quod publicae luci exponantur. Vti uetus olim Roma Sibyllina carmina, et patriciorum pontificumque ordo diligenter alios celatam factorum et legis actionum, mox poſt illas euulgatas, notarum ſcientiam ſibi ſoli ſeruare ſtudit, ita hodie habet unaquaeque fere ciuitas arcanas regnandi artes, et domeſticas ſibiſque uni proprias rationes, quas ab omnibus ſciri non expedit. Quidquid tandem prohibendorum librorum ſuperest, qui non niſi longinquius eccleſiam et rem publicam tangunt ciuilem, eos omnes in ultimam claſſem, honeſtati aduerſantem, iure ſuo coniiicimus. Primum in ea locum occupant libri obſcœni et impuri, nequitiarum et laſciuiæ magiſtri, pudoris et honeſtatis omnis corruptores. Quo enim alio polleant effectum, nullus omnino poteſt effingi. Ficulnea ſane illis ſubſternunt robora, qui præſtare perhibent, ut foeda uitiorum nuditas omnium oculis exponatur. Poſſet illud de aliis admitti uitii, quæ ſua ipſius ſponte, ut primum recte inſpicit, humana natura horrore proſequitur. At alia omnino eſt eorum ratio, in quæ illa ita præceps fertur, ut motus ſuos haud facile poſſit compeſcere, quin appetat, cum in ſenſu incurrant. Et uehementer tenerioribus animis, ne facile corrumpantur, metuendum eſt, dum ob oculis illis uerſentur,

tur, quae uulgo eius generis libris continentur, historiae peccare docentes. Prouide omnino legislator Saxo publicarum scholarum magistros monuit, ne adolescentulis, fidei suae commissis, talium librorum usum permetterent⁶⁾. Honestatem item laedunt libelli famosi, qui alterius famam conuiciis profcindunt. Ea illos feueritate coercendos duxerunt ueteres Imperatores, ut uel eum, qui libellum famosum, quocunque loco forte inuentum, non corruperit illico, uel igne consumserit, sed euulgarit potius, capitali sententia plectendum pluribus sanctionibus decreuerint⁷⁾. Cui licet rigori hodie haud promiscuus relinquatur locus, eo tamen ualidiores libellis famosis ponendi sunt obices, quo faciliora ipsis euulgandis typographia subministrat adminicula. Communium in Germania legislatorum in hanc rem curam loquuntur ipsae leges, in salubriorem typographiae usum perscriptae, eoque pleraeque consilio primum enatae, ut libellos famosos passim obuios, aut e medio tollerent, aut impedirent, quo minus in posterum prorumperent, uti ostendunt ea, quae supra edisseruimus, quando illarum legum potiores adtulimus.

1) L. 4. §. 1. D. fam. ercisc.

2) Durius aliquantisper in Protestantium doctrinas decretum occurrit in Conuentione Norimbergensi, inter Ferdinandum Austriacum et Catholicos aliquot imperii ordines a. 1524. inita, quam supra memorauimus. Iisdem ex causis haud dubie repetenda sunt, quae proximis annis a reformatione usque ad aeram fere transactionis Passauiensis, qua Protestantium coetui prima publicae auctoritatis parata sunt praesidia, pro solo catholicae religionis dominio communes imperii leges ita cauisse deprehenduntur, ut aliam quamcunque, et maxime puriorem illam, quae tum expurgatis sacris instaurari coeperat, exulare omnino iusserint. Sufficit hanc in rem adlegare, quae omnium fere postrema est, huius potestatis constitutionem
ex

ex Ord. Polit. August. d. a. 1548. tit. 34. §. 2. ubi sancitur, daß alle und jede Oberkeiten - - ernstlich Einschen thun, und verschaffen sollen, - - daß nichts, so der Catholischen allgemeinen Lehr, der Heiligen Christlichen Kirchen ungemäfs und widerwärtig - - gedicht, geschrieben, in Druck bracht werde etc.

3) In Mand. d. 14. Sept. 1562. ad Senat, Lips. dat. Cod. Aug. Tom. I. p. 405. Also bevelen Wir euch, ihr wollet bey euch die ernstliche Verfügung und Beschaffung thun, - - daß kein Buch, welches der göttlichen heiligen Prophetischen und Apostolischen Schrift, Augspurgischen Confession und allgemeiner Christlichen Lehr, so in unserer Lande, Kirchen (Gottlob!) wohl angericht, ungemäfs, widerwertig, und entgegen, in diese unsre Lande, Chur- und Fürstenthumbe, oder in unferer Erb-Schutz-Verwanten, Bischoven, Prelaten und Stedt, Lande, Gebieth und Orth, geführt, gebracht, under schleiffet, ausgeetheilet, ausgebreitter, feil gehabt oder verkauffet werde etc.

4) In Mand. d. d. 24. Apr. 1717.

5) Vnum saltem alterumue iam ex ipsa rerum, hoc saeculo gestarum, memoria iuuat repetere. Alterum suppeditat indignatio in SEBASTIANI EDZARDI scripta, illi Protestantium coetui, quem Reformatorum cognomine distingui moris est, ualde iniqua. Vid. FABRI Staats-Cantzley, Tom. XIII. cap. V. pag. 188. Elect. Iur. Publ. Tom. I. pag. 377. seqq. Alterum dabunt ea, quae ob uirulentos illos, et in uniuersam Protestantium rem publicam ualde iniuriosos, RVDOLPHI MARTINI MEELFVRERI libellos communi Corporis Evangelici studio acta sunt, et ad Augustissimum Imperatorem relata, uti plenius exponuntur in FABRI Staats-Cantzley, Tom. XXIII. pag. 133. seqq. Recentiorum, quae huc pertinent, exemplorum refricare iam non expedit memoriam.

6) In Ordin. Schol. Augusti Electoris de anno 1530. tit. von der Disciplin und Zucht, n. 6. Cod. Aug. Tom. I. pag. 330. Fabeln und Lügen-Bücher, Buel-Liedlein, Schmach- und Schand-Schriften, unzüchtige Gemähde, sollen sie (die Praeceptores) bey den Knaben in ihren Kammern, und sonst, nicht leyden.

7) L. 7. et L. 10. Cod. Theodof. de famos. libell. L. un. Cod. eod.

§. VIII.

POENAE IN LIBRORVM PROHIBITORVM
EDITORES STATVTAE.

Frequentissimus legislatoriae prudentiae usus, ad ipsam humanam naturam, procliu nimis impetu in uetita niti solitam, egregie adtemperatus, ei nos formandae adfuefecit notioni, ut posita lege prohibitiua, poni simul intelligamus poenalem sanctionem, cuius praesidiis illa muniatur. Post ea quam ergo de libris euulgari uetitis differuimus, consequens est, ut de poenis dispiciamus, in eos statutis qui contra illam prohibitionem fecerint. Primo autem id notari cupimus, nihil nos disputare de puniendis eius generis scriptionum auctoribus, eo, quod adeo noxium ingenii foetum efformauerint, sed, quod praesentis argumenti finitio postulat, in illos saltim nos intueri, qui opera sua efficiunt, ut tales scriptiones immisceantur rei librariae, dum publicae luci exponuntur. Horum primarii sunt, qui librorum imprimendorum impensam faciunt. Quam si prohibitis commodauerint, licet re ipsa puniantur eo, quod illico ipsis tales libri, et una non spes solum lucri ex istis percipiendi, sed ipsi quoque sumtus in eos collocati auferantur, poenae tamen nomine censerit uix potest, quod eius infligendae consilio non decernitur, sed communem cum ipsa prohibitione habet finem, ut nempe libros illos perlegendi praescindatur occasio, et plane publicis isti eximantur commerciis. Verum si cum illis libris, uti euenit interdum, ita proceditur, ac si omnes eorum exstinguenda esset memoria, eoque illi sine ultricibus flammis addicuntur, iam exseri putauerim quaedam poenarum uestigia. Nihil iam uacat inquirere, unde origines suas nactus, quibusue demum consiliis ita commendatus fuerit, ut undiquaque inualesceret, mos ille libros
publice

publice comburendi, quod argumentum egregie, uti solet omnia, ex ultima rerum gestarum antiquitate repetitum explicuit Illustris Iuris consultus, IVSTVS HENNIGVS BOEHMERVS ¹⁾. Illud utique uerum, modo ubi uis fere usitato, qui libris comburendis adhibetur, carnificis nempe ministerio, poenae quoddam inesse simulacrum, et quam hominum opiniones inferunt, luculentam infamiae notam, quae non in libros, de quibus supplicia fumere absurdum foret, sed in ipsorum auctores editoresque perinde cadit, ac ad publici criminis reos pertinere arbitramur poenas, quae in ipsorum effigiem solent exerceri. Possunt sane librorum exempla publico decreto auferri, quo nihil omnino auctoris aut librarii detraheretur famae et existimationi: at quidquid poenae specie in libros decernitur, pro ipso scilicet modo, quo fumitur, grauius interdum, aliquando leuiuscule laedere illam uidetur. Ita de iniuria sibi facta multum conqueustus est, quod ab ipso me accepisse memini, Vir Illustris, CONSTANTINVS GRIMALDVS, in supremo Regni Neapolitani consilio, quod Sanctae Clarae uocant, Consiliarius emeritus, quod ipsius libri, contra personatum Iesuitam pro Cartesiana philosophia scripti, nouo supplicii genere adfecti fuerint, aqua scilicet merfi, et quod durissimum uidebatur, quamuis proximum palatio regio, in quo illi custodiebantur, habeatur mare, quasi per pompam, ambagibus fatis longis, extra urbem ad Paufylipi montis littus deducti, ibique omnes, exemplo feruato unico, quod delicti corporis instar foret, in maris fauces acti praecipites ²⁾. Equidem caute ad modum in decernendis eius generis suppliciis uersandum putauerim, cum illud plerumque illis efficiatur, ut, quae est humanae curiositatis petulantia, tanto quisque sit perlegendi libri adparentior, quanto enixius de illo abolendo laboratum est, ne-

que fieri paene possit, ut ad unum omnes impressi libri exempla e medio tollantur, siue aqua, siue igne uelis interimere. Deinde illud quoque cauendum est, ne, quidquid sit eius poenae, intellectum potius, nullius imperii patientem, quam effrenem uicta audendi licentiam, coercere uideatur, quo saepe quidem et ita passim peccari nouimus, ut nouam et infuetam rem perinde, ac olim SENECA³⁾, non habeamus, supplicia de studiis et opinionibus sumi. At sunt quaedam omnino scriptiones, quae ita honestatem et rem publicam laedunt, ut iure merito publici supplicii specie publica in eorum auctores promotoresue declaretur indignatio. Necdum hoc poenae satis est in typographos, qui aut libros prohibitos imprimunt, aut in libro imprimendo modum, legibus praescriptum, transgrediuntur. Eo scilicet casu, tam quam periuri publicarum legum contemptores, poena quoque sunt adficiendi, si uel innoxium librum imprimendo censuram subterfugerint. At potest alius insuper cuiusdam delicti reatus accedere, et exasperandae poenae locum facere, pro ipso scilicet libelli argumento, cui furtim et dolose in publicum proferendo operam suam praestiterunt. Ita seueriori haud dubie poenae subiiciendus est, qui libellum seditiosum, quam qui priuatas in ciuem iniurias aeri mandauerit, quorum utrumque, utpote transgressorem publicarum legum typographiae, dictarum sua manet poena, hoc respectu eadem, et utrique communis, at diuersa, tam quam alius quoque delicti reum, alterum grauissimi, laesae maiestatis, leuioris alterum, priuatae iniuriae. Ipsae imperii leges extraordinariam poenam, multam, carcerem, aut si grauius delictum postulare uidebitur, seueriorem etiam animaduersionem, magistratus arbitrio definiendam, in typographos, iuris iurandi et officii sui negligentes, statuunt⁴⁾, in quibus consentientes omnino habent Saxoniae constitutiones⁵⁾.

1) in

1) in Diff. de iure circa libros improbatæ leſionis, Cap. I. §. 3. ſeqq. habit. Halæ cto loco XXVI.

2) Longum nimis foret omnem contentionum ſeriem dicendo exſequi, quæ ab anno cto loc LXXXVIII. uſque ad ea tempora, quibus Carolo Borbonio Regi ceſſit utriusque Siciliae regnum, cum in urbe Neapolitana, tum in curia Romana uehementer agitatae ſunt. Naſci coeperunt ex BENEDICTI ALETINI litteris apologeticis, quas eo, quem memorauimus, anno IOANNES BAPTISTA DE BENEDICTIS, ſocietati leſti adſcriptus, pro theologia ſcholæſtica contra nouam Carteſii philoſophiam, quam apud Neapolitanos LEONHARDVS GAPVANVS, THOMAS CORNELIVS, FRANCISCVS ANDREAS, aliique uiri, dignitate publica et litterarum laude conſpicui, eo tempore inſtaurare coeperant, uernaculo Itolorum ſermone conſcriptas, publici iuris fecit. Quos in uiros cum multa iuſto liberius diceret perſonatus ALETINVS, uindicias et illis, et nouae, uti tum dicebatur, philoſophiae parauit editis ad illas litteras reſponſionibus CONSTANTINVS GRIMALDVS. Ampliſſima illa diſcordiarum materia, et multa in GRIMALDVM durius ſtatuta, cum in Romana curia, cui pridem exoſus erat, quod regia in eccleſiaſticos regni Neapolitani reditus iura una cum CAIETANO ARGENTIO contra CAROLVM MAIELLAM, Romanae ſedis deſenſorem, Imperatori adſeruerit, tum in ipſa Neapolitana urbe, maxime illo tempore, quo Cardinalis ab Althian regnum illud pro Imperatore adminiſtrauerat. Tandem poſt diuturnas contentiones utrimque agitatae, omnique cauſa Romae recognita, illa GRIMALDI ſcripta primae, in quam redacta fuerant, prohibitorum librorum claſſi exempta, et cetera diſſidia in patria urbe regia auctoritate fuere compoſita. Nos quidem haec quaſi obiter adtulimus, cum eo, quod apud nos parum innotuit ea controuerſia, tum quod meminimus, occurrere praeter ea in illa cauſa quam plurima eius generis argumenta, quæ oſtendunt, quantum cautionis in publica rei librariae tutela recte adminiſtranda exigatur. Sed illa iam exeutere nimis longum foret, et a noſtro inſtituto aliquantisper remotius.

- 3) In præf. Lib. V. Controu.
- 4) Rec. Imp. Spir. d. a. 1570. §. 157. Da aber deren Ding eines oder mehr unterlassen, sollen nicht allein die getruckte Bücher, Schriften, oder Karten alsbald von der Obrigkeit confiscirt, sondern auch der Trucken, und bey weme die zu kauffen oder auszubreiten begriffen, an Gut, oder sonsten nach Gestalt und vermög gemeiner Rechten unnachlässlich gestrafft werden.
- 5) In Mand. d. d. 26. May 1571. Augustus Elector eadem ipsa uerba, quae in adlegato Rec. Imp. habentur, repetiit.

§. IX.

LIBRORVM IMPRIMENDORVM PRIVILEGIA.

Quas adhuc adtulimus leges, publicae in rem librariam tutelae testes et uindices, illae omnes impediendis occupatae sunt typographiae abusibus, qui publicae rei uniuersim possunt esse offendiculo. Sed sunt illorum etiam nonnulli, qui directe priuatorum commodis ita officiant, ut habeant publica tutela opus, qua remoueantur. Eo iure censenda sunt haud dubie fraudulenta turpiusculae auaritiae consilia, quibus ita se in transuersum agi quidam patiuntur, ut libros, quos imprimendi uendendique alius sibi sua impensa ius quaesuit, denuo prelo subiiciant, iniquissimum inde lucrum cum insigni prioris legitimi possessoris defraudatione aucupaturi. Quos forte sordidiores conatus iam priuato iure satis coerceri putaueris, quippe qui a furti crimine proxime abesse deprehenduntur, uti data opera euicit acutissimus olim Iuris consultus, NICOLAUS HIERONYMVS GVNDLINGIUS ¹⁾, et qui post eum de rei librariae defectibus eorumque medelis eleganter multa et solide disseruit, AVCTOR ANONYMVS ²⁾. Consultius tamen omnino est, peculiaribus tutelae publicae praesidiis muniri librum, cuius imprimendi distrahendique ius sibi comparauit librarius, ne forte alius furtiuae impressionis dolo iustum ipsi lucrum inde faciendum

dum praeripiat. Concedere solent summi principes eum in finem priuilegia, quibus non caueri tantum solet, ne quis subditorum eundem librum formis exscribat, sed illud etiam, ne quis exterorum eundem, si formis exprimentum curauerit, in subiectas ei principi, qui priuilegium indulgit, ditiones inuehat uenum exponendum. Muniri solent ea priuilegia pecuniaria plerumque poena, praeter omnium exemplorum, ita subdole impressorum inuektorumue ablationem, illis irroganda, qui contra quidquam ausi fuerint. Quam si quis librarius commiserit, exercendi commercii causa nouus aduena, et temporarius subditus, quidquid reliquorum librorum adtulerit, donec exsoluerit multam illam, pignoris loco retinetur, uti quidem in Saxonia peculiari Ioannis Georgii I. Electoris rescripto³⁾ introductum. Habetur praeter ea priuilegiorum hanc in rem indultorum tutela eius sanctitatis, ut inferior magistratus, ueluti alio eiusdem Electoris rescripto⁴⁾ constitutum est, de illo cognoscere omnino haud possit, sed quidquid oriatur controuerfarum ad eius generis causam pertinentium, ipsius principis arbitrio decidi debeat. Quae ceteroquin ad argumentum hoc plenius edisserendum adferri possent, uelut de iure priuilegia illa concedendi, de finibus illorum regendis, et eius generis alia, ea rei librariae idonea interpretatione commodanda sunt ex generali de priuilegiis doctrina, cuius amplior omnino ambitus est, quam commentationis nostrae meta, quae iam fere circumspicienda est, porrigitur.

- 1) In dem rechtlichen Bedencken vom schändlichem Nachdruck andern gehoeriger Bücher. Hal. 1726.
- 2) In libello qui prodiit 1733. sub titulo: Eines aufrichtigen Patrioten unpartheyische Gedancken über einige Quellen und Wirkungen des Verfalls der ietzigen Buchhandlung etc.
- 3) d. d. 13. Mai. 1620. Cod. Aug. Tom. I. pag. 410.
- 4) d. d. 7. Nou. 1636. ibid. p. 411.

QK Ia 520 X 237 3716


XL. PUBLICA REI LIBRARIÆ TUTELA.

Tutelæ publicæ in rem librariam admi-
 nistratio ad magistratus delegata. ^{apud}
 Illud tunc addimus, neque deesse magistratus quasi tu-
 telares, ad quos publicæ huius tutelæ negotia proxime
 pertinent. Omnibus fere illis legibus, a nobis adhuc
 adlatis, quibus res librariæ et typographiæ cum primis
 exercitium ordinatur, illud plerumque simul inculcari obser-
 uamus, quod etiam sua sponte consequitur, ut cuiusvis loci
 magistratus de illarum obseruantia quam diligentissime pro-
 spiciat. Neque tamen in ea ordinarii magistratus cura, quæ
 rem librariam tueatur, ita omnino adquefcendum censue-
 runt summi principes, quin eam iis maxime in locis, ubi
 frequentiora habentur rei librariæ commercia, ad peculia-
 rem quempiam magistratus ordinem, eo nomine constitu-
 tum, delegarent. Ita in Francofurtana potissimum ad Mo-
 nūn, et in hac nostra urbe, quæ utraq; nundinarum cele-
 britate consequuta est, ut rei etiam librariæ præstantissi-
 mum in Germania habeatur emporium, publica utro-
 bique auctoritate, Augustissimi Imperatoris in illa, apud
 nos Serenissimi Principis Electoris, a longa inde annorum
 retro serie constituti sunt, quos librorum commissarios ad-
 pellamus. Ad ipsorum cognitionem pertinent plerumque,
 quæ rei librariæ causâ inter priuatos agitantur disceptatio-
 nes. Illorum quoque est providere, ne libri noxii prohibi-
 tiue luci exponantur, aut distrahantur in uulgas. Ut rem
 omnem paucis expediamus, quidquid ipsis commissum est
 officii, eius summa eo redit, ut legibus uigorem suum fer-
 uent incolumem, rei librariæ causâ perscriptis. Quam
 ad ductum quando primis iam lineis, uti animus erat,
 publicam rei librariæ tutelam descripsisse nobis uidemur,
 manum amouemus de tabula.

1) Vid. Constit. Rudolphi II. Imp. de anno 1608. ap. MELCHIO-
REM GOLDASTVM, Const. Imp. Part. II. pag. 688.

* * *





Farbkarte #13

B.I.G.

QK.528, p.

B.m. II

IIa
520

PUBLICAM
REI LIBRARIAE
TVTETAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SISTVNT

ADRIANVS DEODATVS
STEGERS

PHIL. ET IVR. DOCTOR
ET

GEORGIVS GOTTLIEB ECKENBERGERVS
RATISPONENSIS.

A. D. XIII. OCTOBR. CIOIOCC XXXX.

LIPSI AE
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL

